

quibusdam 8. menses, ab aliis 6. communibus 40. dies; quod tempus fuit postea contractum ad 18. dies.

DIGRESSIO SECUNDA HISTORICA

De Baptismo Constantini Imperatoris.

Quandò, & ubi fuit baptizatus Constantinus?

Ad att. ult. Dissert. Præcedentis.

Duplex est circa hoc factum opinio. Prima tenet, Constantinum baptizatum fuisse Romæ a S. Sylvestro ann. 324. etc. Altera tenet baptizatum fuisse in suburbio Nicomediæ sub finem vitæ. Ita plerumque Recentiores, Papebrochius ad diem 21. Maji, Antonius Pagi ad annum 324 Natalis Alex. sæc. 4. Dissert. 23. Benedictini Maurini in notis ad Orat. S. Ambrosii de obitu Theodosii, Tillemontius, Fleury, &c. Utriusque sententiæ momenta proponant.

Momenta Baptismi Constantino collati Romæ a S. Sylvestro.

Primum momentum petitur ex Actis S. Sylvestri, quæ sic factum narrant. Hæc autem Acta venerandæ auctoritatis esse in Ecclesiâ, constat: 1. Quia Adrianus I. in Ep. ad Constantinum, & Irenæum ea laudavit ad vindicandum cultum SS. Imaginum. 2. Quia Gelasius, severissimus Apocryphorum censor, nulla censura ea notavit, sed e contra dixit a pluribus Catholicis legi. 3. Quia Romano Breviario sunt inserta. Secundum momentum eruitur ex Conc. Rom. ann. 324. in cujus exordio aseritur, Constantinum baptizatum fuisse a Sylvestro Episcopo Urbis Romæ, & mandatum fuisse a lepra. Tertium ex Nicolao I. in Ep. ad Michielem Imperat. ubi, post laudatum quoddam S. Sylvestri decretum, dicit: Consonat huic sententiæ S. Sylvestri, & magni Constantini baptizator. Idem dicit Anastasius Biblioth. in Chronico. Nicephorus l. 7. Hist. Eccles. c. 37., & 34. narrat, Constantinum Romæ a S. Sylvestro fuisse baptizatum, id quæ probat ex Baptisterio Constantini, quod Romæ asservatur; & addit, signum esse Arianorum contra communem Ecclesiæ sensum, quod Constantinum fuerit Nicomediæ baptizatum. Quartum deducitur ex Zosimo E. hinc, qui libr. 2. Histor. innuit, Constantinum horratu, & consiliis cujusdam Ægyptii ex Hispania adventantis fuisse Romæ baptizatum.

5. Arguunt ex congruentiis. 1. Incredibile videtur, pientissimum Imperatorem adeo supersticiosum fuisse, ut propter Baptismum in Jordane suscipiendum illum in finem vitæ distulerit, præsertim cum anno ante obitum id opportunè exequi potuisset, dum Orientis Episcopus Jerosolymam ad dedicationem Templi convocavit. 2. Quia, si Nicomediæ baptizatus fuit morti proximus, sequitur ipsum baptizatum fuisse ab Eusebio Nicomediensi Episcopo Ariano, sique ipsum ab Ecclesiâ alienum obisse. Quid vero hæc sententiæ respondet argumentis sententiæ contrariæ, dicemus in hujus expositione. Unde

Momenta Baptismi Constantino collati Nicomediæ sub finem vitæ.

Primum petitur ex Eusebio Casarensi libr. 4. de vita Constantini cap. 61. & 62. Ubi narrat, quomodo Constantinus morbo correptus ad aquas calidas Helenopolis jussit se deferri; quo in loco istam impositionem cum solemnī precatione primum meruit accipere. Ex quo inferunt multi, tunc tantum factum fuisse Catechumenum, alioquin non dixisset primum; siquidem Catechumeni fuerit ab Episcopis per manuum impositionem. Helenopi, ingravescente morbo, delatus est ad suburbana Nicomediæ, ubi cum coram presentibus Episcopis perorasset, ardensque desiderium indicasset nunc baptismum suscipiendi, quod olim statuerat agere in flumine Jordanis; exemplo Christi; prosequitur Eusebius: Illi verò (Episcopi) solemnī ritu divinas ceremonias peregerunt, injunctisque ei quæcumque necessaria erant, sacrorum Mysteriorum participem eum fecerunt. Solus igitur ex omnibus qui unquam fuerunt, Imperatoribus Constantinus in Christi martyris renatus, & consummatus est, & divino donatus signaculo exultavit spiritu.

Opponent prioris sententiæ Patroni, nullam hæc in re fidem esse adhibendam Eusebio propter duo. 1. Quia Eusebius pugnantem narrat. Scripsit enim antea, Constantinum omnibus viri Christiani, & fidei protectoris officio functum fuisse, Concilio Nicæno interfuisse, leges pro Christianis dedisse: Ecclesiis extruxisse, Hereticos suis templis spoliasse, Gentiles ad fidem invitasse, jejunio, & orationibus vacasse in Tabernaculo imagine crucis insignito, quod habebat in castris, Dominicos dies, & Festa Mar-

tyrum celebrasse, Sacrorum Mysteriorum participem, Pontificis atque Hierophantæ (aditui) munire functum, in Pasche vigiliis cum cæteris (Fidelibus) peractasse: l. 4. c. 22. Idem l. 1. c. 34. Præfixus est titulus: Quomodo Constantinus Catechumenus factus Scripturas sacras legerit. Et tamen l. 4. c. 62. cit. dicit, ipsum Helenopoli in Templo Martyrum sub finem vitæ primum factum fuisse Catechumenum, ut prius observatum est. 2. Quia Eusebius erat Arianus, & de Baptismo Constantino Romæ collato a S. Sylvestro siluit, ne Constantium ejus filium, qui ad partes Arianorum defecerat, argueret tamquam paternæ pietatis desertorem.

Verum reponunt hujus sententiæ defensores ad primum; his evinci quidem Constantinum a cultu Idolorum ad fidem Christi esse convertum, & eum non solum animo, sed etiam externa professione esse Christianum, non tamen esse Christianum Baptismi collatione; hæc enim omnia præstare potuit absque Baptismo. Nam, quamvis dicatur orationibus cum aliis vacasse, non dicitur in Ecclesiâ, forte enim in Palatio, ut sæpè solebat; & dato, diceretur in Ecclesiâ, non erat prohibitum Gentilibus, etiam non Catechumenis, orare cum Fidelibus in Ecclesiâ usque ad Offertorium. Quod autem dicat, Ipsum fuisse participem Mysteriorum, non intelligit, quod admissus fuerit cum aliis Fidelibus ad communicationem, & participationem Sacramentorum, sed quod Mysteriorum Christi esset imbutus, & fidei particeps. Dicit, Pontificis, & Hierophantæ munere functum fuisse; quia suo mandato, & exemplo augustiorem reddidit solemnitate Paschalem, accessis per totam civitatem in vigilia Pasche cereorum columnis, & lampadibus, atque erogatis, illucescente die, largis eleemosynis. Ad 2. Est Eusebius Casarensis fuerit Arianus, incredibile est ipsum splendide mentiri in causa Arianorum non spectante, & in hujus facti narratione cujus erat adhuc recens memoria, & in qua putidi mendacii ab innumeris penè testibus adhuc viventibus convinci potuisset; superstites enim erant, qui scient Constantinum, & Romæ fuisse baptizatum, & Nicomediæ non fuisse baptizatum. Adde, Eusebium ab omni retrò antiquitate in iis, quæ non spectant Arianam heresim, habitum semper fuisse, & laudatum tamquam, sincerum, & veracem Historicum. Quantum ad titulum c. 32. reponunt, ritulos istos non esse Eusebii, sed ab aliquo recentiore compositos; tum quia de Eusebio loquuntur in tertia persona; tum quia non reperitur eadem in omnibus editionibus; & revera illum, de quo est Quæstio, non reperio in Editione Coloniensi 1612 sed capite 26. l. 1. hunc lego titulum præfixum Quomodo Constantinus Christianorum Mysteriorum instructus, sacris litteris operam dederit. Tum quia Eusebius in toto isto c. 34. vel 26. nullatenus dicit, Constantinum factum fuisse Catechumenum, sed tantum evocatis Episcopis visionem crucis aperuisse, & inde lectioni sacræ Scripturæ vacasse. Altera Baronii conjectura, inquit, utcumque valeret, si Eusebius solum tacuisset Baptismum Constantini, Romæ a S. Sylvestro collatum; & non solum id tacuisset, sed etiam asseruit baptizatum fuisse Nicomediæ sub finem vitæ. Insuper nihil intererat Constantini, quando, & ubi fuerat baptizatus Constantinus, ut in ejus gratiam tam apertum mendacium fingeret Eusebius; erat enim aliunde toti Universo notum, Constantinum fuisse Ariane hereses infensissimum hostem; consequenter paternæ pietatis, & fidei desertorem esse ejus filium Constantinum.

Secundum momentum, quo primum confirmatur, & Eusebii fides magis vindicatur, petitur ex sequentibus Scriptoribus, quorum nullus Eusebium mendacii arguit, sed omnes in ejus sententiâ ierunt, & Constantinum morti proximum Nicomediæ baptizatum fuisse, disertè asserunt, Sozomenus l. 1. c. 39. Sozomenus l. 2. c. 39. Theodoretus l. 1. Hist. Eccles. c. 32. S. Hieron. in Chronico ad ann. ultimum Constantini, & alii.

Tertium momentum eruitur ex Epistola Episcoporum Catholicorum in Conc. Arimilensi ad Constantium Imp. quæ legitur apud S. Athanasium l. de Synodis Arimiani, & Seleuciam, apud Sozomenum l. 2. c. 37. Sozomenus l. 4. c. 18. Theodoret. l. 2. c. 19. & S. Hilarium in fragmentis. In hac ergo Ep. Episcopi Catholici nullo intervallo se jungunt Baptismum Constantini ab ejus obitu; sic enim allocuntur Constantium: Fuit nobis persuasissimum, iniquum esse, cum Imperator Constantinus, ab obitu suo dignus omni memoria, hanc fidem omni cura, & diligentia conscriptam promulgavit, tum demum ex quo ille baptizatus ex hominibus in requiem sibi debitam translatus est, aliquid novi in ea fide moliri velle. Respondet Baronius, textum hujus Ep. esse adulteratum, & loco Constantini legendum esse Constantem: quia sic legitur in versione Latina S. Athanasii. At, reponunt alii, non advertit Eminentiss. Scriptor in textu Græco S. Athanasii legi Constantinum, & non Constantem: item Constantinum legi apud Sozomenum, Sozomenum, Theodoret. & in omnibus Cæciliæ scriptis, editis, ideoque ex oscarantia Interpretis, aut Typographi Constantem pro Constantino in versione Latina S. Athanasii irrepsisse. Insuper Patres Ariminenses scripsisse Constanti-

tinum & non Constantem, aut Constantinum juniorem, constat ex his, quæ paulò ante dixerant: Indecens enim, inquit, & nefarium aliquid ex rectè & justè decretis, & ex rebus Nicææ cum Illustrissimo Principe Constantino Patre tuo per accuratam deliberationem constitutis, aliquid immutare velle.

Quantum momentum est auctoritas S. Ambrosii, qui in Orat. habita in funere Theodosii Imperat. dicit, quod Constantino Baptismatis gratia in ultimis constituto omnia peccata dimiserit. His addunt S. Isidorum in Chron. ex Recentioribus, Aneam Sylvium in Dialogis biennio antè Pontificatum editis, Cardinalem Causanum l. 3. Concord. Cathol. c. 2. & alios.

Ad momenta verò prioris sententiæ sic respondent hujus posterioris assertores. Ad 1. dicunt, acta S. Sylvestri, fatente ipso Baronio, patentissimis scater mendacis, sique nullius esse ponderis argumentum ex illis deductum. Narrant si quidem hæc acta ann. 315. Romæ congregatum esse Concilium 75. Episcoporum & 109. Sacerdotum Judæorum, exceptis 12. missis ab Isachar Pontifice ad Helenam, ut disserter coram illa & Constantino filio de Religione; Helena quippe erat adhuc gentilis, sed à Judæis penè effecta Judæa, valde commota in filium Constantinum, quod Religionem Christianam amplexus esset, ad eum dedit litteras plenas blasphemis adversus Christum. Hæc putidissima, inquit, esse mendacia, nemo non videt, nec negat Baronius. Quis enim credit, Catholicos Episcopos conciliariter convenisse cum Judæis, ut de fide disputarent, & alios Judæos à suo Pontifice missos, cum constet ab exordio Jerosol. nullum apud Judæos creatum fuisse Pontificem, & Pontificis nomen esse extinctum? Item quis credit, Helenam tam acriter infensam in filium, ad eumque litteras iratas & blasphemias dedisse, cum de hoc altum sit apud veteres silentium? Aliud mendacium est, quod S. Sylvestri jejunium Sababathi atrociter, ut referunt acta, cum certum sit illud ab ejus successore fuisse religiose servatum. Item mendacium est, quod, ut referunt in actis, S. Sylvestri instituit primum diem hebdomadæ vocari Dominicam, cum jam ita vocaretur tempore Apostolorum, Apocal. 1. Et ut ad subjectam materiam accedamus, falsissimum est, quod asserunt hæc acta, S. Sylvestrum latissime in monte Soracte, ut Constantini persecutionem fugeret; cum certum sit, Constantinum, antè plures annos ad Religionem Christianam convertum, eam ubique & omnibus modis fovisse ac protexisse. Pariè falsum est, ut ferunt acta, Constantinum parasse sibi balneum ex sanguine puerorum, ut curaretur à lepra; sed ab e. Baptismo fuisse sanatum; præterquam enim quod nullus veterum tanti miraculi meminere, cum Julianus Apostata Christianis exprobraret Baptismum non mundare a lepra, ergo à fortiori nec a peccatis; S. Cyrillus Alex. l. 7. contra Jul. huic exprobrationi & argumento respondens, non dicit Constantinum fuisse Baptismo a lepra mundatum, quod dubio procul non omisisset, si res ita se haberet; sed respondet, Christum, qui tot miracula in corporibus hominum edidit, potuisse etiam aquis vim mundandi à lepra conferre; sed gratiam, quæ in Baptismo datur, potentiorē effecisse, & ad alios usus, scilicet ad medendum morbis animæ, esse nobis datam. Nulla ergo, inferunt, fides Actis, quæ his & pluribus aliis mendacis sunt infarcta, nullius ponderis argumentum ex illis deductum. Quòd Adrianus I. hæc Acta laudaverit, nihil juvat, inquit; illa enim laudavit; quia ob antiquitatem illi qui conferre poterant ad asserendum cultum Imaginum; neque dicunt, omnia in eis contenta esse falsa. Gelasius illa nulla censura notavit, vel quia nil Fidei contrarium continet, vel quia Gelasii tempore non erant, sicut nunc adulterata & falsitatis sciantia. Quantum ad Breviarum Rom. respondent, ipsum hæc in parte posse emendari, sicut in pluribus aliis jam fuit emendatum.

Ad 2. respondent, hoc Concil. Rom. ann. 324. esse fictitium, aut intolerabiliè depravatam, multis argumentis probari. Inter alia, 1. quia in Prologo Photinus dicitur ibi condemnatus; cum tamen constet, heresim Photini longe postea emersisse, nec ante Conc. Sirmiense fuisse damnatam. 2. Dici-

tur, S. Helenam Constantini matrem huic Concilio cum filio interfuisse & subscripsisse, quod est ridiculum, & à moribus Ecclesiæ alienum. Omitto, hæc aperte pugnare cum Actis S. Sylvestri, quibus innititur præcipue ista sententia. 3. Quia plures hujus Concilii Canones sunt prorsus inepti, disciplinæ Ecclesiasticæ, imò & communi sensui repugnantes: v. gr. Can. 3. sancitum est, quod non condemnabitur Subdiaconus, Acolytus, Exorcista, Lector, nisi, sicut scriptum est, in septem testimoniis, filios & uxores habentes, & omnino Christum prædicantes. In primis nullibi id scriptum est. Insuper ad quos referuntur hæc verba, Filios & uxores habentes, non liquet: si ad Subdiaconum, Acolytum, &c. ergo non solum possunt Subdiaconus & Minores Clerici, sed etiam debent habere uxores & filios; si ad testes, ergo nemo potest esse testis idoneus contra Clericum, nisi habeat uxorem & filios: utrumque autem est absurdum. Can. 10. dicitur: Nullus Episcoporum Virginem saceratam maritali consortio expetierit benedicere, nisi probaverit 72. annorum esse constitutum. Quis autem unquam audivit Virgines maritali consortio consecrari, nec antè 72. annum posse benedicere, aut nuptas posse consecrari? Can. 13. sancitur: Nemo, nisi velamen caeleste accepit primum conjugii per manus Sacerdotis, ad Clericatus honorem accedat. Quasi verò necesse sit prius nubere, quam fieri Clericum.

Ad 3. reponunt, Nicolaum I. adulteratis Actis S. Sylvestri circa Baptismum Constantini fuisse deceptum. Idem dicunt de Anastasio Biblioth. de Nicephoro & quibusdam aliis, majoremque fidem adhibendam esse antiquis Scriptoribus, Eusebio, Sozomero, Evagrio, Theodoro, Patribus Ariminensibus, S. Hieron. Ambrosio, Isidoro, &c. quàm quibusdam Recentioribus: neque ex Baptisterio Romano, quod dicitur Constantini, solidum posse erui argumentum; potuit enim ita nominari, non quia in eo baptizatus fuit Constantinus, sed quia ejus magnificentia in aliorum usum fuit extractum.

Ad 4. dicunt, narrationem Zosimi Ethnicæ à Scriptoribus Ecclesiasticis Sozomero & Evagrio convinci falsitatis, & in odium Christianæ Religionis esse confictam. Vide Sozomenum l. 1. c. 5. Adde, quod Zosimus non dicit, Constantinum fuisse Romæ baptizatum, sed tantum quod consiliis & horratu istius Ægyptii Principum impietatis hoc dedit, ut divinationem suspectam haberet.

Ad 5. ex congruentiis. Ad 1. negant, superstitionis esse velle exemplo Christi baptizari in Jordanis aquis, quas suo contactu specialitèr sanctificaverat ipse Salvator, sed e contra id esse pium, & à pluribus tunc religiose frequentatum. Nec refert, quòd id opportunè potuerit prius Constantinus; non enim quæritur, quid potuerit, sed quid fecerit. Ad 2. congruentiam duo reponunt. 1. Quamvis Hieron. & Isid. dicant, baptizatum fuisse ab Ariano, id tamen non constat; id namque silet Eusebius, & Gelasius Cyzicenus apud Photium in Biblioth. cod. 88. contrarium asserit, referens Constantinum baptismum tantum ab Orthodoxo Sacerdote, non ut quidam prodierunt, ab Heretico aliquo 2. estò baptizatus fuerit ab Eusebio Nicomediensi non sequitur ideo eum factum fuisse Ariantum, aut peccasse; quia Eusebius Nicomediensis, sese adhuc tunc simulabat Catholicum, & Concilio Nicæno subscriperat: nec nisi post obitum Constantini palàm apparuit hereticus.

Observandum, Anselmum Havelburgensem Episcopum, ut utramque sententiâ conciliaret, dixisse, Constantinum baptizatum fuisse Romæ a S. Sylvestro, & rebaptizatum Nicomediæ ab Ariano. Verum hæc conciliatio nil signum communitèr rejicitur. 1. Quia nullo antiquorum testimonio fulcitur. 2. Quia falsum est, tunc temporis Arianos baptizatos à Catholicis rebaptizasse, sed tum demum tempore Wandaliæ persecutionis à Wandalis, & Hunnis Ariani id tentatum fuisse. 3. Quia non est credibile, Constantinum, qui Donatista rebaptizantes compresserat, sese rebaptizari passum fuisse. 4. Pariè inverisimile est, Eusebium Nicomediæ, qui tunc adhuc se Catholicum simulabat, Baptismum in Ecclesiâ collatum tamquam nullum iterare ausum fuisse.

DISSERTATIO IV.

DE EFFECTIBUS BAPTISMI.

Div. Thom. a Quæst. 76. ad 72.

ARTICULUS I.

Variis effectibus Baptismi recensentur.

Præter Hereticos, qui vel necessitatem, vel utilitatem Baptismi negaverunt, quorum non semel meminimus in superiori-

bus; Lutherani, & Calvinistæ contendunt per, Baptismum peccata non vere tolli, sed regi tantum, & non imputari; quorum errorem confutavimus in Tract. de grat. Diss. 7. art. 1. Alios verò Baptismi effectus comminiscuntur, quos non agnoscit Ecclesia 1. Quòd Baptizatus non possit damnari, etsi velit, nisi nolit credere. 2. Quòd Baptismus liberet ab obedientia legis

ium divinæ, cum humane, & ab omnibus votis. 3. Quod sola memoria Baptismi iustificet à peccatis, que sunt post eius susceptionem. Hos errores sigillatim damnat Conc. Trid. sess. 7. Can. 6. 7. 8. 9. & 10. & libè impugnat Bellarm. l. 1. de Bapt. c. 14. 15. 16. 17. & 18. sed quia ipsa sua vanitate & absurditate corruunt, iis refutandis non hæreo, & juxta doctrinam Catholicam.

Dico 1. (Q. 9. art. 4. & 6. o.) Principalis effectus Baptismi tam in adultis, quam in parvulis, est gratia sanctificans cum virtutibus infusis. Patet ex Diss. 3. de Sacramentis in communi Art. 1. & 2. ubi multis probavimus, Sacramenta novæ Legis causare gratiam ex opere operato, etiam physicè. Require ibi. Pauca tantum specialia de Baptismo addam. 1. (Ib. art. 4.) Cor. 6. Abluti estis, sanctificati estis, iustificati estis. Tit. 3. Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus. S. Marci ult. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit. Salus autem non habetur nisi per gratiam. Rom. 6. Gratia Dei vita æterna. Insupèr per Baptismum incorporamur Christo tandem membra ejus, ut dicit Aug. l. 1. de Bapt. parvol. c. 26. à capite autem Christo in omnia ejus membra gratiæ & virtutis plenitudine derivatur, juxta illud Joann. 1. De plenitudine ejus nos omnes accepimus.

Et quamvis ista (Ib. art. 6.) & ea que dixi loco cit. de Sacram. in genere, probent tam pro parvulis, quam pro adultis; fuerunt tamen quidam antiqui, qui posuerunt, quod pueris in eis character Christi, cuius virtute, etiam ad perfectam ætatem pervenerint, consequuntur gratiam & virtutes. Sed hoc patet (Ib. id.) esse falsum dupliciter. 1. quidem, quia pueri sicut & adulti in Baptismo efficiuntur membra Christi; unde necesse est, quod à capite recipient influxum gratiæ & virtutis. 2. quia alias pueri decedentes post Baptismum non perveniunt ad vitam æternam. Et ita non proficiscet eis ad salutem, baptizatos fuisse.

Causa autem erroris fuit; (Ib.) qui nescierunt distinguere inter habitum & actum. Et sic videntes pueros inhabiles ad actus virtutum, crediderunt eos post Baptismum nullatenus virtutem habere; sed ista impotentia operandi non accidit ex defectu habitum, sed ex impedimento corporali; sicut enim dormientes, quomvis habeant habitum virtutum, impediuntur tamen ab actibus propter somnum.

Nec obstat, quod Aug. Ep. 23. dicit, parvulos esse fideles per Sacramentum fidei; quamvis enim ibi non nominet habitum fidei, quia apud Philosophos habitus non solem dicitur qualitate immanentem, sed etiam quandam facilitatem per actus frequentatos acquisitam; non tamen cum negat, quin iudicium asserit l. 3. de peccat. mer. c. 2. ubi dicit, per Baptismum præfici in parvulos fidem, quam voluntate propria nondum habere poterunt.

Ite autem effectus (Ib. art. 8. o.) æqualis est in omnibus parvulis; quia omnes sunt æqualiter dispositi: in adultis vero est inæqualis, juxta inæqualitatem dispositionum. Vide de Sacram. in genere Diss. 3. art. 4.

Dico 2. (Ib. art. 1. o.) Per Baptismum remittuntur omnia peccata tam originale, quam actualia. Sequitur ex precelesti; gratia enim est incompossibilis cum peccato saltem mortali, ut probavimus de grat. Diss. 7. art. 3. Insupèr (Ib. in a. 3. c.) constat ex Scriptura: Ezech. 36. Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris. Act. 2. Baptizetur unusquisque vestrum in remissionem peccatorum, cap. 22. Exurge, & baptizare, & abluere peccata tua. Ex Conciliis Conc. Carthag. 4. cap. 1. Episcopus jubetur profiteri ante consecrationem, in Baptismo omnia peccata tam originale, quam que voluntarie admissa sunt, dimitti. Conc. Flor. in Decreto unionis: Huius Sacramenti (Baptismi) effectus est remissio omnis culpæ originalis & actualis. Trid. sess. 5. Can. 5. Si quis, per Jesu Christi Domini nostri gratiam, que in Baptismate conferitur, reatum peccati originalis remitti negat, aut etiam asserit non tolli totum, quod veram & propriam rationem peccati habet, sed illud dicit tantum radi, aut non imputari, anathema sit. In renatis enim nihil odit Deus, quia nihil est damnationis illi, qui verè consecrati sunt cum Christo per Baptismum in mortem, ita ut nihil prosus eos ab ingressu cæli remotur.

Sic autem remitti peccata, ut verè deleantur, tollantur, & auferantur, & non solum radantur, aut tegantur, abundè probavimus Diss. 7. de grat. art. 1.

Patres pro utraque conclusione omittimus; quia passim sunt obviæ, & citatos habes laudata Diss. 3. de Sacram. in genere art. 1. & 2.

Ratio Theologica. (Ib. o.) Apost. Rom. 6. dicit: Quicumque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus: consecrati enim sumus cum illo per Baptismum in mortem: ut quomodo Christus surrexit à mortuis per gloriam Patris,

ita & nos in novitate vitæ ambulemus. Et postea concludit: Ita & vos existimate, vos mortuos quidem esse peccato viventes autem Deo, in Christo Jesu Domino nostro: ergo per Baptismum homo moritur vetustati peccati, & incipit vivere novitati gratiæ. Subsumo; atqui omne peccatum ad pristinam vetustatem pertinet: ergo omne peccatum per Baptismum tollitur.

Dico 3. (Ib. art. 2. & 5. o.) Per Baptismum remittitur omnino poena pro peccatis luenda coram Deo; non tamen tolluntur presentis vitæ poenitentia. prob. 1. Pars. 1. Ex Conciliis. Conc. Flor. Decreto cit. sic definit: Huius Sacramenti (Baptismi) effectus est remissio omnis culpæ originalis & actualis, omnis quoque poenæ, que pro ipsa culpa debetur. Propterea baptizatis nulla pro peccatis præteritis injungenda est satisfactio; sed morientes, antequam culpam aliquam committant, statim ad Regnum cælorum & Dei visionem perveniunt. Trid. cit. definit. nihil proisus baptizatos ab ingressu cæli remorari. Et sess. 6. cap. 14. dicit, quod in Poenitentia poena non tota semper, ut in Baptismo fit, demittitur illis.

Prob. 2. Ex patribus: S. Clemente l. 2. constit. c. 47. S. Basilio exhortat. ad Bapt. S. Ambros. libr. de Elia c. ult. S. Chrysost. Hom. 1. ad baptizandos, S. Greg. Naz. Orat. 40. S. Aug. in Enchir. ad Laurent. c. 64. & l. 2. de Peccat. merit. c. 28.

Prob. 3. ex perpetuo Ecclesiæ usu, que nullam baptizatis injungit satisfactionem. Ratio à priori est (Ib. art. 2. o.) voluntas Christi. Sic autem voluisse Christum, constat ex dictis, & ex sequentibus momentis. 1. Ex institutione Christi per Baptismum homo incorporatur Christo, & fit membrum ejus, sicque passioni & morti ejus communicat, sicut ejusdem corporis membrum; secundum illud Rom. 6. Si mortui sumus cum Christo, credimus quia simul etiam vivemus cum Christo. Unde omni baptizato, ut Christi membro, communicatur Passio Christi ad remedium, ac si ipse passus & mortuus esset; atqui Passio Christi est sufficientis satisfactio pro omnibus peccatis omnium hominum: ergo ille, qui baptizatur, liberatur a reatu totius poenæ sibi debite pro peccatis, ac si ipse sufficienter satisfecisset pro omnibus suis peccatis. Confer Diss. præced. art. 5. Penit. 4.

2. Conveniens erat, ut efficacia Passionis Christi communicaretur per aliquod Sacramentum; id autem maxime decebat fieri per Baptismum: tum quia est primum Sacramentum: prima autem gratia Principis solet esse plena, & perfecta: tum quia est regeneratio: in regeneratione autem nihil in genere remanet de corrupto: tum quia est incorporatio Christo, in eodem autem corpore novum membrum satisfecit pro satisfactionem, quam exhibet aliud membrum, ut dictum est.

Dixi: Omnis poena coram Deo luenda: (Ib. art. 2. ad 5.) quia in poenis, que judicio humano inferuntur, non solum attenditur, que poena sit homo dignus quoad Deum; sed etiam in quo sit obligatus quoad homines, qui læsi, & scandalizati sunt propter peccatum alicujus. Et ideo, licet homicida per Baptismum liberetur a reatu poenæ quoad Deum, remanet tamen obligatus adhuc quoad homines, quos justum est adificari de poenâ, sicut sunt scandalizati de culpa. Pie tamèn Princeps talibus posset poenam indulgere.

Secunda Pars (Ib. art. 3. o.) probatione non indiget, quippe que infelici nostra experientia constat. Subjicimus namque fami, siti, morbis, morti, concupiscentiæ; & c. non quod Baptismus non habeat vim has poenitentias auferendi, eas enim virtute auferentur a justis in resurrectione. Quando mortale hoc induet immortalitatem, 1. Cor. 15. Verum eas nunc non auferit, & hoc rationabiliter propter tria. 1. Quidem, quia per Baptismum homo incorporatur Christo, & fit membrum ejus, ut dictum est; & ideo conveniens fuit, ut id agatur in membro incorporato, quod est actum in capite: Christus autem quamvis fuerit plenus gratia, habuit tamen corpus passibile, quod post passionem, & mortem est ad vitam gloriosam resuscitatum. Unde & Christianus, quamvis gratiam consequatur in Baptismo quantum ad animam, habet tamen corpus passibile, in quo Christo possit compari; sed tandem resuscitabitur ad impassibilem vitam. Unde illud Apostoli Rom. 8. Qui suscitavit Jesum Christum a mortuis, vivificabit & mortalia corpora vestra propter inhabitantem Spiritum ejus in vobis. 1. Hoc est conveniens propter spirituale exercitium, ut videlicet contra concupiscentiam, & alias passibilitates pugnantis homo victorie coronam acciperet. 3. Hoc fuit conveniens, ne homines ad Baptismum accederent propter impossibilitates præsentis vitæ, & non propter gloriam vitæ æternæ. Porro isti defectus, quamvis sint naturales, & reperirentur in statu naturæ puræ, dicuntur tamen in hoc statu naturæ lapsæ poenitentia: quia, cum vi doni integritati non essent in statu innocentie; peccato Adæ effectum est, ut, hoc dono amisso, iis subjiceremur; & ideo dicte poenitentia, quasi poena peccati. Confer de gratia Diss. 2. art. 1. §. 1. & art. 2.

Dico

Dico 4. (Ib. art. 5. & 7. o.) Quidam alii Baptismi effectus convenienter assignantur. 1. Incorporatio; quia, ut dictum est, per Baptismum incorporatur Christo tamquam ejus membra. 2. Illuminatio, que est per fidem, cujus Baptismus est Sacramentum, & professio. 3. Facundatio, quatenus ratione gratiæ sacramentalis per Baptismum collatæ fecundamur ad bona opera exercenda: juvat autem specialiter hæc gratia ad recipiendam doctrinam Fidei, ad justitiam acceptam retinendam, & ad operandum juxta illam. Confer Diss. 7. de Sacram. in genere art. 4. 4. Aperiit Regni cælestis; quia aperire jamnam Regni cælestis nihil est aliud, quam amovere obstaculum, quo quis impeditur Regnum cælestis introire: hoc autem obstaculum est culpa, & reatus poenæ, quod tollitur per Baptismum, ut dictum est.

Dices 1. Regnum cælorum per Passionem Christi est aperitum. 2. Qui baptizati mortui sunt ante Passionem, & Mortem Christi, non sunt tunc ingressi Regnum cælorum. 3. Circumcisio tollebat similiter omnem culpam, & poenam, & tamen non aperiebat Regnum cælorum. R. ad 1. (Ib. ad 1.) Passio Christi aperuit Regnum cælorum sufficienter omnibus, seu respectu totius nature: huic autem particulari aperit, quandò applicatur meritum Passionis per Baptismum, per quem ejus peccatum tollitur, quod erat illi impedimentum personale. Ad 2. baptizari morientes ante Passionem Christi non sunt statim ingressi Regnum cælorum per accidens; quia tunc Baptismus nondum habebat suam perfectam significationem, que est mortis, sepulture, & resurrectionis Christi præterita. Hanc tamen introitum expectabant vi Baptismi tamquam instrumenti Passionis Christi. Ad 3. disparitas est, quod circumcisio tollebat tantum impedimentum ex parte personæ, remanente impedimento ex parte totius nature; quod cum Christo abstraheret, remanet tantum impedimentum ex parte personæ, quod Baptismo auferatur.

Dico 5. Aliter effectus Baptismi est character animæ indelibiliter impressus. De quo sat dixi in Tract. de Sacram. in genere Diss. 4. art. 1. Illuc recurro.

ARTICULUS II.

Utrum Baptismus, si sit susceptus, recedente fictione, revisiscat?

Duplex hic distinguenda est factio. Una voluntatis, quandò quis simul se habere voluntatem suscipiendi Baptismum, quam tamen non habet; & de illa hic non agitur; quia talis factio irritat Sacramentum: quod autem nunquam extitit, reviviscere non potest. Altera est dispositionis, quandò quis simulat, aut credit se habere dispositionem sufficientem ad Sacramentum, & ejus effectum, & tamen non habet: ut si accedat cum intentione quidem suscipiendi Sacramentum, sed vel sine fide, vel sine poenitentia, vel cum affectu ad peccatum, & dicitur sic positive indispositus; aut si accedat cum attritione naturali, quam invincibiliter putat esse supernaturalem, & sic dicitur negativè indispositus. Uterque recipit Sacramentum Baptismi, & characterem, sed non gratiam, & remissionem peccatorum; quia gratia est incompossibilis cum affectu ad peccatum, & homo non disponit ad gratiam recipiendam nisi per actum supernaturalem. Questio est itaque, utrum Baptismus fiet, hac dispositionis fictione, si sit positiva, si sit negativa, susceptus, recedente fictione, reviviscat, sic ut gratiam producat, & peccata remittat?

Dico. (Ib. art. 10. o. & ad 2. & 3.) Baptismus fiet susceptus, recedente fictione, si sit revisiscat, ut gratiam producat, & peccata tam originale, quam actualia, que ipsum præcesserunt, aut comitata sunt, remittat quoad reatum culpæ, & totius poenæ; non tamen illa, que post ipsum commissæ sunt. Est communis cum Auctore.

Prob. 1. pars. 1. ex Aug. 3. de Bapt. c. 14. ubi loquens de Baptismo, in hæresi, vel schismate suscepto, dicit: Si autem quis apud hæreticos, vel Schismaticos idem sit Baptismus Christi, non tamen ibi operatur remissionem peccatorum propter eandem discordiæ fæditatem, & dissensionis iniquitatem; tunc incipit valere idem Baptismus ad dimittenda peccata, cum ad Ecclesiæ pacem venerit: non ut jam verè dimissa non retineantur, neque ut ille Baptismus quasi alienus, aut alius improbetur, ut alter tradatur; sed ut idem ipse, qui propter discordiam foris operabatur mortem, propter pacem intus operetur salutem. Et l. 1. c. 12. loquens de Baptismo in Ecclesia Catholica sic senuo dicit: Sicut in illo, qui fictus accesserat, fit, ut non decepto baptizetur, sed ipsa pia correctione, & veraci confessione purgetur; quod non posset sine Baptismo, ut quod aut datum est, tunc valere incipiat, cum illa factio veraci confessione recesserit.

Quamvis ergo præcipua controversia inter Aug. & Dona-

tistas fuerit de validitate Baptismi, in hæresi, vel schismate suscepti, occasionaliter tamen nostram Conclusionem clarissimè asseruit, arguendo ad hominem, quasi dixisset: si Baptismus apud vos cum indebita dispositione susceptus valeat, & non iteretur, quia sublata fictione exirit suum effectum: ergo nec in hæresi, vel schismate receptus debet repeti; quia, deposita hæresi, vel abjecto schismate, parièr exirit suum effectum.

Neque dici potest, quod Aug. intelligat peccatum orig. sublata fictione remitti virtute solius poenitentia, alioquin falsò dixisset, quod tunc incipiat valere Baptismus. Non etiam obstat, quod dicit Vasquez, nullum hujus sue opinionis argumentum proferre, si ex Scriptura, si ex Traditione, si ex definitionibus Ecclesiæ, si ex ratione. Id enim non putavit necessarium S. D. quia, ut dictum est, non erat inter ipsum, & Donatistas controversia de ista reviviscencia, quam ipsi Donatistæ admittent. Hanc ergo sententiam protulit tamquam certam, & communiter receptam suo tempore. Unde Auctor Sermonis de Passione apud S. Cypr. de his, qui fieri Baptismum susceperunt, dicit, Ubi redierit ad cor, constat abolitionis donum, & redit effectus munerum; nec alius queri, aut repeti necesse est salutarium Sacramentum. Et Greg. l. 9. Ep. 61. nunc 67. dicit, Ab antiqua Patrum institutione mansisse, ut qui apud hæresim in Trinitatis nomine baptizantur, cum ad sanctam Ecclesiam redeunt, aut vocatione christiatis, aut impositione manuum, aut sola fidei professione ad sinum Matris Ecclesiæ revertuntur. quia sanctum Baptisma, quod sunt apud Hæreticos consecuti, tunc in eis vires emundationis recipiunt, cum vel illi per impositionem manus Spiritum Sanctum acceperint, vel isti propter professionem veræ fidei sanctæ, & universalis Ecclesiæ visceribus fuerint uniti.

Prob. 2. rationis. (Ib. o.) Cùm aliquod generatur, simul cum forma recipit effectum formæ, nisi sit aliquid impediens; quo remoto, forma rei generatæ producit suum effectum: sic, cùm corpus grave generatur, movetur deorsum, nisi sit aliquid prohibens; quo remoto, statim incipit moveri deorsum; atqui Baptismus est quædam spiritalis generatio, & quândò aliquis baptizatur, accipit characterem quasi formam, & consequitur effectum, qui est gratia remittens omnia peccata, nisi impediatur per fictionem: ergo oportet, quod, ea remota, Baptismus statim consequatur suum effectum. Sed observandum est cum Sylvio ex Cajetano, hanc Auctoris rationem esse intelligendam per accommodationem similitudinariam, ut, sicut in naturalibus simul cum forma dantur effectus formæ consequentes, qui si impediuntur, remoto impedimento, consequuntur; ita in Baptismo imprimuntur character quasi forma, & cum eo nata est sequi ex ordinatione divina gratia; que si impediatur, conveniens est ordinationi divinæ, ut amoto impedimento sequatur, si interim Deus utatur characterem tamquam instrumento ad illam causandam, siue conferatur ratione Sacramenti prius suscepti.

Prob. 3. altera ratione. Qui post Baptismum fiet susceptum perfectè conteritur, aut accedit ad Sacramentum Poenitentia supernaturaliter attritus, iustificatur, id nemo negat; consequenter regeneratur in Christo, emundatur à peccato orig. & ab omnibus peccatis actualibus, ante Baptismum, & in ejus susceptione commissis; atqui id non obtinet vi Poenitentia, sed Baptismi: ergo recedente fictione, Baptismus reviviscit. Prob. Minor multipliciter. 1. Ex illo Joann. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu S. & c. Si enim id totum obtineret vi poenitentia, non esset renatus ex aqua, & Spiritu S. sed ex aqua tantum. Neque dici potest, ipsum renasci ex Spiritu S. per gratiam Sacramenti Poenitentia; hæc enim gratia non est regenerativa, sed resuscitativa tantum: ergo. 2. Conc. Trid. sess. 6. cap. 4. docet, quod translatio ab eo statu, in quo homo nascitur filius primi Adæ, in statum gratia: sine lavacro regenerationis, aut ejus voto fieri non potest, sicut scriptum est: nisi quis, & c. atqui in eo, qui verè, sed fietè, baptizatus est, non potest repeti Baptismus, nec habet locum votum suscipiendi Baptismum, qui semel datus non potest amplius suscipi: ergo illa translatio fit virtute Baptismi prius suscepti, sicutè reviviscit. 3. Peccatum orig. & actualia peccata, ante Baptismum, aut in ejus susceptione commissæ, non sunt materia Sacramenti Poenitentia: tum ex Trid. sess. 14. cap. 1. & 2. ubi docet, Sacramentum Poenitentia esse institutum pro tollendis peccatis post Baptismum commissis: tum quia non cadunt sub clavis, & jurisdictione Ecclesiæ, sicut enim Ecclesia non habet jurisdictionem in hominem non baptizatum, ita nec in peccata, que commissis ante Baptismum: ergo ista peccata non remittuntur per Sacramentum Poenitentia, sed per Sacramentum Baptismi reviviscitis. 4. Ex praxi Ecclesiæ, que nullam imponit satisfactionem pro peccato originali, & pro peccatis actualibus commissis ante Baptismum, aut in ejus susceptione, quamvis novèrè Baptismus fuisse fietè susceptum: ergo supponit, totam poenam esse remissam, non vi Sacramenti Poenitentia, quod non habet istam virtutem: ergo virtute Baptismi reviviscitis. Conf. Cùm

Cum Sacramentum Baptismi sit inalterabile, non satis esset provisum humane fragilitati, sit fide susceptus, recedente fictione, effectum non habere.

Prob. 2. pars Conclusionis. Nullum Sacramentum est institutum ad tollenda peccata futura, sed tantum presentia, & preterita; sunt enim medicina sanativa precedentium peccatorum, & preservative futurorum; ergo. Conf. Peccata post Baptismum commissa subiiciuntur clavibus, & jurisdictioni Ecclesie; ergo sunt materia Penitentia, & non Baptismi.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1. contra 1. partem Concl. Opus mortuum, id est, sine charitate factum, non reviviscit; atqui Baptismus fide susceptus est opus mortuum: ergo. R. D. Min. (Id. ad 1.) Baptismus, fide susceptus, ut est opus hominis, est opus mortuum, C. & ex hac parte non reviviscit; ut est opus Dei, est opus mortuum, N. & ex hac parte reviviscit.

Obj. 2. Sacramenta secundum nos causant physicam gratiam; atqui Baptismus, dum amovetur fictio, non potest physicam causare gratiam, quia tunc non existit: ergo. R. duplicem solutionem huic argumento nos dedisse Dis. 3. de Sacr. in genere art. 2. Primam, Baptismus virtute remanere in suo effectu, scilicet, characterem. Alteram, sententiam Thomisticam de causalitate physica Sacramentorum esse intelligendam, quando concurrunt omnes condiciones requisitae ad casualitatem physicam, quarum prima est realis existentia cause. Vide ibi.

Obj. 3. Baptismus non reviviscit, nec operatur, nisi prius amovetur fictio; atqui per amotionem fictionis omnia peccata tam precedentia, quam subsequenter tolluntur: ergo nihil restat tollendum per Baptismum. Prob. Min. Amotio fictionis fit per infusionem gratiae; atqui gratiam nullum compatitur peccatum: ergo. R. D. Maj. Baptismus non producit suum effectum, nisi prius prioritate naturae amovatur fictio, C. prioritate temporis, N. Eodem igitur instanti reali, quo tollitur fictio, & peccata Baptismus subsequenter per infusionem gratiae simul tolluntur, & precedentia per eandem gratiam, quae est ab utroque Sacramento. Quatenus est a Sacramento Penitentiae, concurrunt directae, & per se ad amotionem fictionis, & peccatorum subsequentium, sed indirectae tantum, & tamquam removens prohibens ad remissionem peccatorum precedentium Baptismus, id est, quae prius natura in genere cause materialis, & dispositiva; sicque Baptismus, & Penitentia simul tempore concurrunt ad justificationem huius peccatoris: Baptismus per se, & directae respectu peccatorum precedentium, Penitentia per accidens, & indirectae tamquam removens prohibens respectu eorumdem; sed respectu fictionis, & subsequentium per se, & directae, quia haec sunt eius materia, non precedentia.

Inst. Peccata Baptismus precedentia sunt etiam materia penitentiae: ergo. Prob. Ant. Sunt peccata hominis subditi Ecclesiae: ergo & ipsa sunt Ecclesiae subdita, consequenter materia penitentiae. R. N. Ant. Ad prob. N. Conseq. Non enim ex eo quod quis per Baptismum fiat subditi Ecclesiae, sequitur, quod peccata, quae prius commisit, subdantur Ecclesiae, ut patet ex 3. probatione Conclusionis, praesertim ex praxi Ecclesiae, quae illa non agnoscit sui fori, cum illi nullam imponat satisfactionem. Nec refert, quod peccatum, commissum in uno loco, quandoque puniatur in altero, cuius jurisdictionis reus est subditi; id enim fit, vel ex implicita, seu interpretativa voluntate Domini loci, in quo delictum fuit commissum, vel ex dispositione Juris humani; similem autem a Deo pro Sacramentis institutam dispositionem, vel voluntatem, non agnoscit Ecclesia.

Obj. 4. Fictio tollitur per Penitentiam, & non per Baptismum, ut docet D. Th. & patet; quia per se, & directae opponitur dispositioni, quae requiritur, ut reviviscat Sacramentum; atqui fictio est peccatum concomitans Baptismum: ergo. R. D. Min. Fictio voluta, & inchoata est peccatum, concomitans Baptismum, C. & haec remittitur per Baptismum; Fictio consummata, N. Haec enim est posterior Baptismo: tum quia non intelligitur profanatio Sacramenti consummata, nisi supponatur Sacramentum: tum quia consummatur fictio in eo instanti, in quo debet infundere gratia, & impeditur, alioquin Baptismus non esset fide susceptus; eo autem instanti non est amplius Baptismus, quia non causat gratiam, nisi quando completus & perfectus desinit; desinit autem, ut alia successiva, per instans extrinsecum, seu per primum sui non esse, in quo verum est dicere: nunc non est, & immediate ante erat.

Inst. Fictio suscipiens Baptismum tenetur confiteri fictionem non solum consummatam, sed etiam inchoatam, & currentem cum susceptione Baptismi: ergo haec etiam tollitur per Sacramentum Penitentiae. Prob. Ant. Tenetur confiteri se suscepisse fide Sacramento; atqui ille non suscipit fide Sacramento, cuius fictio posterior est Sacramento suscepto: ergo. R. N. Ant.

Ad Prob. D. Min. Ille non suscipit fide Sacramento, cuius fictio posterior est Sacramento, si illa fictio posterior non sit obex gratiae Sacramenti, C. scilicet, N. In hoc enim situ est peccatum fictionis, quod ponat obicem gratiae conferendae per Sacramentum, alioquin non esset Sacramento fide susceptum: non autem potest ponere obicem gratiae, nisi in eo instanti, quo Sacramento illam conferret, si non esset obex; & illud instans, ut diximus, est extrinsecum Sacramento.

Subsumes; atqui non potest confiteri fictionem consummatam, nisi simul confiteatur peccata precedentia, & concomitantia: ergo. Prob. Subsumptum. Qui tenetur confiteri peccatum, tenetur & eius gravitatem aperire; atqui fictio fit gravior ex peccatis precedentibus; quo enim plura sunt, & graviora peccata, cum quibus accedit ad Baptismum, eo major est irreverentia Sacramenti, & gravior fictionis peccatum: ergo. R. 1. D. Subsumptum: non potest confiteri fictionem consummatam, nisi simul confiteatur peccata precedentia, ut appareat gravitas fictionis praesens, Transit: ut per Sacramentalem absolutionem remittantur, N. Non sunt enim eius materia, & sic nihil contra nos. Sed 2. N. Subsumptum. Ad Prob. N. Maj. in casu praesenti, in quo concurrunt duo Sacramenta: quia, cum gravitas illa proveniat ex peccatis precedentibus, quae non pertinent ad Sacramento Penitentiae, & remittantur simul per Baptismum reviviscentem, non est necesse, quod illa confiteatur; sed sufficit, quod confiteatur simpliciter fictionem formalem, dicendo se suscepisse Sacramentum Baptismi in peccato mortali.

Petes 1. Quae dispositio requiritur, ut Sacramento fide susceptum reviviscat? R. Si fictio fuit tantum negativa, puta, quia suscipiens putabat invincibiliter se esse attritum supernaturaliter, cum non esset; sufficit, si habeat attritionem supernaturalem, quia per illam tollitur fictio, & obex gratiae. Intelligit tamen, modo post Baptismum non peccaverit mortaliter: alioquin dicendum erit de illo, sicut de ficto positiva. Igitur, si fictio fuit positiva, puta, si accesserit sine fide, aut cum affectu ad peccatum mort, aut scienter sine attritione sufficienti, requiritur contritio perfecta, vel attritio supernaturalis cum Sacramento Penitentiae, cum enim iste obex, seu ista fictio sit in se peccatum mortale sacrificii, non potest aliter tolli, quam per perfectam contritionem, vel attritionem cum Sacramento.

Petes 2. Utrum Sacramento reviviscentem conferat gratiam secundum mensuram dispositionis, quam habebat subjectum, quando recepit fide Sacramento, an secundum mensuram dispositionis, quam habet, dum tollitur fictio? R. Quosdam existimare, quod gratiam conferat primo modo, id est, quae minime; putant enim in collatione Baptismi iam applicata esse merita Christi ad certum effectum. Ita Joann. a S. Thom. & Conink. Alii tamen communiter tenent gratiam conferri secundo modo; quia actus fictionem tollens, licet non sit dispositio ad Baptismum, qui transit, est tamen dispositio ad eius effectum. Et licet, quando suscipitur Baptismus sine fictione, Deus acceptet illum secundum dispositionem, quae tunc habetur; videtur tamen, quod, quando conditio subjecti pugnat cum effectu Baptismi, illum acceptet secundum eam dispositionem, quam habebit, quando tollit fictionem. Sicque juxta hanc sententiam fieri potest, quod majorem gratiam consequatur qui fiet accedit, quam qui non fiet; non quod illi prosit sua fictio, sed major dispositio, quando tollitur fictio.

Petes 3. Utrum alia Sacramenta fide suscepta, recedente fictione, etiam reviviscant? R. Inter varias Theologorum opiniones probabilis videri, Sacramenta Confirmationis, & Ordinis fide suscepta, recedente fictione, reviviscere: tum quia imprimunt characterem sicut Baptismus, in coque remanent virtualiter, ut ablata fictione, suum effectum producant: tum quia, cum ratione characteris indelebilibis sint inalterabilia, qui illa fide suscipiunt, manent perpetuo privati illorum effectu, seu gratiis sacramentalibus, quibus indigent ad eorum munia obeunda: unde non esset satis provisum humane fragilitati, si non reviviscerent. Idem plures non improbabiler existimant de Extrema-Uncione, & Matrimonio: quia Extrema-Uncio in eodem morbo iterari non potest, & tamen eius effectu maxime indiget homo, ut se praeparat ad huius vitae exitum: Matrimonium vero, quia non potest iterari vivente conjuge, & hominem constituit in eo statu, in quo maxime indiget gratia huius Sacramenti.

De Eucharistia negat S. Thom. in 4. d. 4. q. 3. art. 2. in fine: tum quia non imprimi characterem, & potest iterari toties quoties: tum quia alia sequeretur, quod, qui toto vitae tempore innumeras communionibus indignas fecisset; fieret in fine vitae sanctissimus, si vere poenitente, quod est absurdum. De Penitentia videtur affirmare Auctor in 4. d. 17. q. 3. art. 4. q. 1. o. At juxta plures ejus Interpretes hanc sententiam tacite saltem retractavit in sua Summa. De quo uberius, dum de Sacramento Penitentiae.

DISSERTATIO V.

DE CIRCUMCISIONE, ET CEREMONIIS BAPTISMI.

D. Thom. QQ. 70. & 71.

ARTICULUS I.

De Circumcisione.

In quem finem fuerit instituta.

Circumcisionem (Hic q. 70 art. 1. o.) fuisse figuram Baptismi constat: tum quia, sicut in Baptismo fit professio fidei, & homo coetui Fidelium aggregatur, sic in Circumcisione fiebat professio fidei in Christum venturum, & homo populo Dei aggregabatur: tum quia, sicut in Circumcisione abscindebatur pellicula carnis, sic in Baptismo spoliatur vitium, & peccatis.

Quantum ad ritus Circumcisionis: (Ib. art. 3. ad 1. & 1. 2. q. 102. art. 5. ad 1.) Conventiente fuit instituta in membro generationis. 1. Quia erat signum fidei in Christum ex semine David nasciturum. 2. Quia erat in remedium peccati Orig. ut mox dicam, quod per actum generationis traducitur. 3. Quia ordinabatur ad diminutionem carnalis concupiscentiae, quae precipue in illo membro viget. 4. Ut sigillarentur sacra Veneris, & Priapii, in quibus haec corporis pars honorabatur. Ritus (Ibid. art. 2.) cultri lapidei non erat de necessitate Sacramenti; quia in ejus institutione nullum instrumentum determinatur. Justinus in Dialogo cum Tryphone dicit, primam circumcisionem factam fuisse cultello ferreo, & ita etiam a Judaeis suo tempore fieri, quod & de suo tempore testatur S. Thom.

Leguntur quidem quaedam Circumcisiones factae cultello lapideo, ut Circumcisio filii Moysis a Sephora Exodi 4. & secunda Circumcisio, Josue a Deo mandata Jos. 5. Fac tibi cultros lapideos, & circumcide secundum filios Israel. Sed inde non sequitur, quod sic fuerit praecipuum in ejus institutione, quandoque semper sic factum fuerit, aut debuisset fieri. Quia imo, si consuevisset Judaei circumcidere cultris lapideis, non fuisset necesse praecipere Josue, ut tales adhereret. Pro illa ergo dumtaxat secunda Circumcisione ita praecipuum est, idque in figuram Christi, qui in Scriptura dicitur Petra. Sephora autem sic egit propter festinationem, & trepidationem, Deo mortem minante Moysi marito suo. Dies octavus (Ibid. ad 3.) erat de necessitate praecipui. Constat ex ejus institutione. Praeveniri non poterat ob mortis periculum, quia per eam accelerata fuisset mors infantis, & aliunde poterat illi succurri per remedium legis naturae. Poterat tamen differri, si immineret periculum mortis, quam non licebat periclitari accelerare: ex quo patet, quod non erat de necessitate Sacramenti.

Suppono, Circumcisionem propter varios fines fuisse institutam. 1. Sicut jam dictum est, ut esset figura Baptismi, & Circumcisionis spiritualis. 2. Ut esset signum rememorative fidei Abrahae, & foederis Dei cum illo, & simul protestatio fidei in Christo ex semine Abrahae nasciturum. 3. Ut per illum Populus Dei consignaretur, ejusque cultui deputaretur. 4. Ut esset signum visibile distinctivum Judaeorum a ceteris nationibus, & quasi fraxum eos cohibens a commixtione cum illis. Sed questio est, utrum praeter istos fines fuerit etiam instituta in remedium peccati originalis: Negant Bellarm. Vasquez, & Herminier Nat. Alex. Honoratus Tournely, & quidam alii: contra quos

Dico. (Ibid. art. 4. o.) Circumcisio fuit instituta in remedium peccati Orig. Est ita communis, ut Auctor cit. conceptis terminis dicat: Ab omnibus committitur ponitur, quod in Circumcisione peccatum Originale remittitur. Idque probat ex Aug. Verbum hanc sententiam non denegat Augustino Adversarii, sed volunt ipsum illius parentem esse, & in hoc a praecedentibus Patribus recessisse.

Prob. Conclusio 1. Ex Scriptura, Genes. 17. Ubi refertur institutio Circumcisionis, sic legitur versu 12. & 14. Infans octo dierum circumcidetur in vobis, omne masculinum in generationibus vestris. Masculus, cuius praepitium caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo, quia pactum meum irritum fecit. Sicut ergo ex illo Joann. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu S. non potest introire in Regnum Dei, colligitur Baptismus esse institutum in remedium peccati Originalis, ita ex illo, Masculus, &c. recte colligitur, Circumcisionem fuisse institutam in remissionem peccati Originalis. Theol. Billuart. Pars Tertia.

Masculus enim ibi indefinitè ponitur, siquæ debet intelligi de omnibus etiam infantibus, sicut tō Nisi quis renatus, &c. Idque indicant verba precedentia: Infans octo dierum circumcidetur; & ita expresse habent 70. Interpretes: Masculus, cuius praepitium caro circumcisa non fuerit octavo die: ita ut sensus legis Circumcisionis sit: Quicumque non fuerit circumciscus, peribit; quia reus est transgressionis Adæ, & in eo non fuit observatum pactum Circumcisionis, institutæ ad illius transgressionis remissionem.

Hinc Aug. arguens contra Pelag. libr. 2. de Nupt. & Concub. c. 11. dicit: Sed ipse jam dicat, quare interiret anima ejus de genere suo, si circumciscus die non esset octavo. Quid ipse peccasset, quid offendisset Deum, ut de aliena in se negligentia tam severa sententia puniretur, si nullum esset Originale peccatum? De circumcidendis enim Deus sic mandavit infantibus, Masculus, &c... Ex quo enim instituta est circumcisio in populo Dei, quod erat tunc signaculum justitiae fidei, ad significationem purgationis valebat, & parvulis originalisque veterisque peccati, sicut & Baptismus ex illo valere cepit ad innovationem hominis, ex quo est institutus. L. 7. contra Jul. c. 18. Cur ipse Isaac, nisi baptismatis Christi signo circumciscus fuisset, perisset anima ejus de populo suo. Iterum infra: Quid meruerat, ut anima ejus de populo suo periret, nisi Circumcisio subveniret? Unde Ep. ad Dardanum 57. nunc 187. c. 11. Circumcisio antiquis Sanctis pro Baptismo fuisse creditur. Et l. contra Litt. Petil. c. 72. Certè antiquus Populus Dei Circumcisionem pro Baptismo habebat.

Multa reponunt Adversarii, ut auctoritatis Scripturae, & interpretationis Augustini vim elidant. Dicunt 1. Legem hanc Circumcisionis, Masculus, &c. spectare tantum adultos, & non parvulos: tum quia neque in Hebraico textu, neque in nostra Vulgata legitur octavo die: tum quia spectat illos dumtaxat, qui pactum Circumcisionis irritum faciunt; quod facere non possunt infantes. Sed contra. Quamvis neque in Hebraeo, neque in Vulgata legitur octavo die, attamen, ut dixi, sic debet intelligi; tum ex versu precedenti; tum quia Masculus indefinitè ponitur; tum quia legitur in Versione 70. Interpretum. Vera enim est ista Versio, neque quidquam in ea reprehendi potest, ut dicit ipse Bellarm. de Verbo Dei libr. 2. c. 6. Nisi vitia, quae in eam postea irrepserunt negligentia, vel malitia, aut etiam ignorantia aliorum; quod dici non potest de praesenti textu, cum sic uniformiter legatur in omnibus Exemplaribus graecis. Quapropter dicendum, illos has particulas apposuisse ad clariorem intelligentiam textus hebraici, & quia antiqua Synagoga sic intelligebat. Ita enim legitur in Polyglotta Anglicis in Pentateuco Samaritano, quem quidam dicunt fuisse scriptum tempore Esdrae, alii autem Christum natum. Quantum autem ad haec verba, quia pactum meum irritum fecit; sensus est: Quia pactum meum in eo non fuit observatum.

Dicunt 2. Haec verba, delebitur anima illa de populo suo non designare mortem æternam, sed vel mortem temporalem, quam minatus est Deus Moysi ob negligentiam circumcidendi filium suum, vel exclusionem a coetu Judaeorum, & populo Dei. Alterutrum enim importat ista phrasid pluries repetita in Scripturis, Exod. 12. & 37. Levit. 7. & Num. 19. Sed contra. In primis certum est, his verbis non significari morte temporali plecendum esse eum, qui non fuerit circumciscus; nemo enim unquam ob circumcisionem omissam fuit capite damnatus. Exemplum Moysis non est ad rem; non enim agit in textu, quem versamus, de illo, qui negligit suos circumcidere, sed de illo, qui non circumciditur. Aliunde specialiter culpandus erat Moyses negligendo circumcidere suum filium; tum quia erat constitutus Princeps Genis; tum quia proxime dimicaturus contra Idolatras patiebat in filio fomentum, & semen Idololatriæ, scilicet, peccatum originale. Denique factum unius non constituit legem generalem, maxime cum constet de usu contrario. Iraque intelligenda est illa phrasid de exclusionem a populo Dei, vel per mortem æternam, vel per separationem ab Ecclesia visibili. Primum videtur dicendum, quia juxta phrasid hebraicam in pluribus locis, Genes. 25. & 49. 1. Mach. 4. & alibi, apponit ad populum suum; significat hereditatem Sanctorum; ergo ista contraria, deleri de populo suo, significat huius hereditatis privationem. Sed esto intelligatur, separatio ab Ecclesia visibili.